

A

vácezi kegyes-tanítórendi ház

KÖNYVTÁRA.

U hu betű. *T* 614. szám.



Maer die leedlike boelijking bin
Dero begouen thins lifspijnen
U' blosberes convegdy sunen
De Dylis zins nups zilten

Naer de dyls
Hans Huyghens
A.D. 1611.

O D E

HONORIBUS

ILLUSTRISIMI, AC REVERENDISSIMI

D O M I N I

JOSEPHI LONOVIĆS

E C C L E S I A E C S A N A D I E N S I S

A N T I S T I T I S,

D U M

DIE 24-ta SEPT. ANNO 1834

M U N U S S O L E N N I R I T U

A U S P I C A R E T U R ,

A

S C H O L I S P I I S S Z E G E D I E N S I B U S .



S Z E G E D I N I ,

T y p i s H e r e d u m U r b a n i G r ü n n .

Admittitur ad Typum
Szegedini die 11. Sept. 1834.

Carolus Deák y m. p. e. S. P.
Loc. Dir. Lycei, et Gymn. qua
Rev. Libr. Regius.



Quacumque virtus alma tulit gradum,
Honos eadem prosequitur via,
Pernicibus sublatus alis;
Dum placido pede se ferentem,

Curru triumphans tollat eburneo,
Lateque terris vectus, et aethere,
In sede ponat destinata
Consilio sapiente Divū;

Unde efficacem, sideris in modum,
Totum, quod orbem lumine recreat,
Fovetque, constanter propaget
Lucem, hominum generi beando.

Quid mirer, aequam hanc laudis adoream,
Plenam serenae fulgure gloriae,
JOSEPHE! virtuti decentem
Se comitem sociare **VESTRAE?**

Quando severis apta negotiis
Mens, atque tuti consilii ferax,
Et illa doctrinae supellex,
Moribus, ingeniique blandis

Ornata myrtis, judicio Patrum,
Quos purpuratos Agria suspicit,
Vulgaribus sic demsit auris,
Conspicuas meritura lauros:

Ut Te , Coronae dulce Decus suae ,
Miseret alto Concilio Virūm ,
Deliberaturo perenni
Pro Patriae , et Populi salute.

Hic , hic reluent , vere velut novo
Florum venustas ; amplius indeles
Vultuque , cultuque , et potentis
Clara Tuae monumenta svadae.

Queis regnat aequi prisca severitas ,
Videre gaudent mox Fora Judicem :
Pastore donari fidelis
Grexque flagrant , viduaeque caulae.

Vicere Coelum vota precantium ;
Laetatur oris prae reliquis Csanád ,
Et vindicem sortis beatae
Magnanimum properans salutat.

Ergo molestam rumpe moram , et caput
Inflecte mitris Pontificalibus
Inaugurandum , quodque dudum
Sepositum tacito in recessu

JOSEPHE ! moeret , protinus elice
Pedum ! Voluntas Principis Optimi
Est ista FRANCISCI , Patrumque
Consilio meliore lucra ,

Et faustitatem Regni operantium ::
Ut Tu Csanádensis viduae prius
Ecclesiae sponsus , salutem
In Populo stabilem elabores :

A matre natis perfidia Noti
Detentus ultra Carpathium mare ,
Ventique , captivusque ponti ,
Non ita sollicita vocatur

Prece in paterni jugera praedii:
Ut nos profestis lucibus, et sacris
Scopo laborantes in uno,
Te petimus, Superis capessas

Qui grata demum munera Pontifex.
Nam, etsi recentis frena remordeat
Propago secli; procreatrix
Consilii tamen eruditii,

Et sustinendis promta laboribus,
Longaque firmata experientia
Mens, ut redonentur vigori
Templa Deūm, pietasque prisco,

Effinget altae vi sapientiae,
Pravique, coeco ne ruat impetu
Morti propingvas per Charybdes,
Nequitiam cohibebit orbis.

O! qui corusco summus in aethere
Mundum potenti Numine temperas,
Divisque , mortalique turbae
A supera dominaris arce!

Parcae insolentem Tu rege forcisem ,
Fatumque tarda : non meritus mori
Antistes , in commune lucrum ,
Ut Pyliam superet senectam.

Cecinit

Joannes Bapt. Valentini
Secundae Humanitatis Scholae Professor.

4

O D E,
QUAM
HONORIBUS
ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI
AC
MAGNIFICI DOMINI
JOSEPHI LONOVIĆS,
ECCLESIAE CSANADIENSIS
PRAESULIS,
SACRAE CAESAR. REGIAE APOSTOLICAE MAIESTATIS
CONSILIARII,
ET
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS;
D U M
PER I. DISTRICTUM LITTERARIUM MAGNO-VARADIENSEM
SUPERIORIS SCHOLARUM ET STUDIORUM
DIRECTORIS REGII
MUNUS GERERE INCIPERET,
OBTULIT
COLLEGII SCHOLARUM PIARUM
TEMESVARINI ANNO 1838.

TEMESVARINI,
TYPIS JOSEPHI BEICHEL, CAES. REG. PRIV. TYPOGRAPHI.